



The Holy See

PIUS PP. XII

*EPISTULA AD EMUM P. D. VALERIUM TIT. SANCTI SILVESTRI
IN CAPITE S. R. E. PRESB. CARDINALEM VALERI,
PRAEFECTUM S. CONGREGATIONIS DE SODALIBUS RELIGIOSIS, QUINQUAGESIMUM
SACERDOTII NATALEM CELEBRATURUM.**

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Singularia Dei beneficia suavi memoria recolere et divino Largitori sollemniores gratias referre, piissimum exstat grati animi officium, simulque, inter cotidianos labores, curarum lenimen atque delectamentum.

Hoc sane tibi propediem continget, quum quinquagesimum sacerdotii natalem fauste feliciterque celebrabis. Inde enim a suscepto presbyteratu, praeclarum ingenium, mitem suavemque animi naturam, humanarum litterarum studia, sacrarum rerum scientiam ac doctrinam, omnes denique virtutes facultatesque tuas in Ecclesiae utilitatem et Sedis huius Apostolicae famulatum sedulo tribuisti.

In ipsis profecto sacerdotii primordiis, officia tibi concredita alacriter obiisti, praesertim theologiam dogmaticam docendo in Pontificio Seminario Fanensi et ius publicum ecclesiasticum in Athenaeo Romano ad Sancti Apollinaris, dum saeviente priore bello Europaeo, magisterio intermisso, apud milites sacrum ministerium actuose exercuisti.

Post bellum vero ad officia Sanctae Sedis vocatus, apud Nuntiaturam Apostolicam Parisiensem Auditoris munus egisti, deinde, archiepiscopali dignitate adauctus, primo quidem Delegatus Apostolicus nominatus fuisti in Aegypto et post biennium etiam in Palaestina ; deinde Nuntius Apostolicus in Romania ac postremo in Gallia, ubi per octo annos usque ad. exitum fere alterius maximi belli inter haud leves difficultates versatus es.

In Urbem itaque revocatus, Nostro desiderio libenter indulgens, in aedibus ipsis Vaticani per quadriennium Sedi Apostolicae operam tribuisti, donec Adessoris munus apud Sacrum Consilium

pro Ecclesia Orientali tibi commisimus. Interea Sacro Anno MCML Coetui in Urbe ad pias peregrinationes moderandas constituto te praefecimus.

Haec igitur tua in Ecclesiam merita Nos Ipsi respicientes, te ineunte anno MCMLIII Romana purpura decoravimus et Sacrae de sodalibus religiosis Congregationi praeposuimus, in qua sollerter contendis, ut tot in Ecclesia Latina familiae religiosae, per orbem terrarum diffusae, hodiernis necessitatibus magis magisque in dies respondeant, earumque ingentes vires et apostolatus opera uberrimos fructus in animarum bonum consequantur.

Has itaque inter ceteras laudes tuas memorantes, tibi, Dilecte Fili Noster, de sacro munere tam diu impigreque gesto ex animo gratulamur, Deum instanter exorantes, ut corporis robur redintegretur animusque supernis donis et solaciis repleatur.

Quorum quidem praenuntia et peculiaris caritatis Nostrae testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, tuis laborum sociis et coniunctis peramanter in Domino impertimus.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, die XII mensis Decembris, anno MDCCCCLVII Pontificatus Nostri undevicesimo.

PIUS PP. XII

*A.A.S., vol. L (1958), n. 1, pp. 30-31.